

15) No. 50
A & Ω
DE
PRINCIPIO
RERUM NATURALIUM,

ex mente
HERACLITI PHYSICI,
COGNOMENTO
ΣΚΟΤΕΙΝΟΥ,
EXERCITATIO,

Quam
AMPLISS. FACULTATE PHILOS.
benignissime annuente,

In vicem Posterioris
PRO LOCO

olim in ea rite obtinendo,
publice defendet

M. GOTTFRIDUS OLEARIUS,
LIPSIENSIS.

Ad d. VI. Kal. April. A.O.R. cId Idc XCVII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ, TYPIS GOEZIANIS.

Physica.

271, 56

3

A & C
DE
PRINCIPIO
REPERIT ANATOMIA

HERACLIUS PHYSICI
EXPOSITIO
ACADEMIAE
P R O F O C O
M. GOTTFRIDUS OLFERHUIS

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



CL. VIRO
JO. ALBERTO FABRICIO

S. P. D.

GOTTFRIDUS OLEARIUS.



Inciderat, VIR CL. nescio quo fato, in manus tuas dissertatio mea de Scriptis Socratis, quam superiori anno simili, qua hancce, quam nunc tibi offero, occasione typis publicis exscribi jufferam. In qua cum & cetera tibi non improbari pro tuo amore humanissimis verbis significasses, precipue tamen te affecisse ajebas medelam, quam dicto cuidam Heracliteo male haecenus affecto, in aliquo corollariorum, quae leges receptae hujusmodi scriptis subtexere nos jubent, tentaveram, adhibere. Optare te addebas, ut aliquid succisivi temporis rebus hujus Philosophi illustrandis impendere vellem, quem magno adeo te facere inquiebas, ut si optioni locus esse possit, hunc unum extare ex veteribus te cupere affirmares. Hoc vero tuum de Heraclito iudicium, ubi litera tua me edocuissent, non potui non deprædicare mecum præclaram ingenii tui vim, quæ effecit, ut nequicquam obstante generis scribendi, quod sectatus fuit, caligine, virtutes ejus & γενναίότητα clarissime perspiceres, quas pauci, sapientissimi tamen ii, inter veteres, pauciores nostri ævi hominibus cognitæ habuerunt. Ast fecit hoc ipsum, ut te potius operi admoveere manum optaverim, quem dudum

ad illud eruditionis fastigium, ad quod pauci hodie adspirare audent, enitentem, ex locupletissima penu ἀπόδοτος suppeditare posse noveram, quæ e cellulis nostris, utpote in quibus multum est inane vacansque, depromi nonnisi parcissime poterunt. Veruntamen ubi alium nonneminem e veterum Philosophorum ordine operam tuam sibi jam vindicasse intelligerem, excutere schedas meas cœpi, ut quid illæ mihi suaderent, experirer. Inveni itaque, ut nihil dissimulem, in illis apparatus aliquem modicum, quem in justum aliquando de vita, dictis, Scriptis atque Philosophia Heracliti Commentarium excrescere posse sperabam: fragmentaque etiam ex Scriptis ejus nobis residua haud paulo plura me collegisse deprehendi, quam ab H. Stephano olim fuere publicata. Attamen multa adeo mihi deesse adbuc vidi, cum scilicet gravissime in omnia Heracliti scripta sævierit temporum invida tempestas, ut de restituenda in integrum ejus Philosophia penitus desperaverim. Cumque ob hoc ipsum operi, mutilo quippe, omnique ex parte manco apparituro manum adjicere abnueret animus, & tuæ tamen etiam voluntati, nihil negare tibi ausus, obsequi cuperet; id tandem consilii cepi, ut specimine quodam te edocerem, quam male Heraclito tuo consulas, dum me res ejus describere jubes. Hac enim denique ratione me id consecuturum putavi, ut dissuadeas opus, cujus suscipiendi autor primum fuisti, ad me quoque pertinere monens ista, quæ in Epigrammate Philosophus noster dicere fingitur:

ἔχ' ὑμῖν ἐπόνου τοῖς δὲ μὲν Ἰπταρδοῖς.

Accipe igitur qualecunque istud specimen, & si nimis indignum Heraclito id tibi videbitur, hoc tecum, ut levior mea culpa evadat, expende, eam mihi felicitatem non obtigisse, ut quenquam in tenebricoso hoc itinere ducem sequi potuerim. Imo prout visum fuerit, per me licet, de eo statuas, modo sinceri in te affectus atque amoris monumentum id esse patiaris. Vale.
Scribebam Lipsiæ, mense Martio, A. R. S. cIo lcc XCVII.

ONus fortassis, quod ferre non valeant, in humeros meos suscepisse videbor, dum abstrusos Philosophi, cui studio quaesita obscuritas σκοτεινῶς appellationem jamdudum peperit, sensus atque opiniones peruestigare aggredior. Illius enim scripta tantis ænigmatum tenebris obvoluta fuerunt, ut jam olim cum integra adhuc doctorum hominum manibus tererentur, non Grammaticorum tantum frustra imploratum fuerit ad explicanda ea auxilium, sed Philosophorum etiam, quorum alias ingenio atque mentis aciei nihil impervium esse videbatur. Sane illos quod attinet, quantumcunque licet attollerent supercilium, modestius tamen ut de se sentiant, quam parum in hujus Philosophi scriptis valeant memores, eos hortatur Sextus, πῶς γὰρ τις δύναται, inquiens, τῶν ὠφρευωμένων Γραμματικῶν Ἡρακλείτου σωεῖναι; Id quod suffragio suo confirmatum dedit Aristoteles, qui vel in ipso textu librorum Heracliti interpungendo ancipites hæsisse eos testatur. Ipsa ejus verba adducere eo magis operæ pretium erit, quod iis oppido ex parte obscuris, lucis nonnihil afferre interpretatione nostra forsitan valeamus. Ὅλως δὲ δεῖ, inquit, εὐανάγνωστον εἶναι τὸ γεγραμμένον καὶ εὐφραστον. ἔστι δὲ αὐτὸ ὅπερ οἱ πολλοὶ συνδέσμοι καὶ ἔχουσιν. εἰδὲ ἂν μὴ ῥαδίον, διασιῶσαι, ὡς περ τὰ Ἡρακλείτου. τὰ γὰρ Ἡρακλείτου διασιῶσαι ἔργον διὰ τὸ ἀδηλον εἶναι ποτέρῳ πρόκειται τῷ ὑστερον ἢ τῷ πρότερον. οἷον ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτῶν τῶν συγγραμμάτων. Φησὶ γὰρ ἔργον τὸ δ' εὐνόητον αἰεὶ ἀξιώετο ἄνθρωποι γίνονται. ἀδηλον γὰρ τὸ αἰεὶ πρὸς ὁποτέρῳ διασιῶσαι. Hæc nullo vero sensu ita vertit Riccobonus: *Omnino autem oportet facile legi quod dictum est, et proferrī posse. Est vero idem, quod multe conjunctiones non habent. Nec quæ non facile est interpungere, ut quæ sunt Heracliti. Nam quæ sunt Heracliti interpungere operosum est, quia incertum est utri adjaceat, posteriorine, an priori, ut in principio ipsius libri. Inquit enim, Rationis hujus quæ est semper imperiti hominis fiunt. Incertum enim est illud semper utri interpungas.* Ista certe Δηλὶς τινῶν δεῖσθαι κολυμβητῶν videntur, duo tamen potissimum sunt, quibus turbatus interpres plus tenebrarum quam lucis Autori suo intulisse videtur. Primum est vox συνδέσμων, quam conjunctionem reddit, id enim vocem istam vulgo significare omnes sciunt. Attamen hoc loco orationis potius vitium eam notare crederem, cujus periodi

Sext. Emp. L. I.
adv. Mathe-
mat. p. 60.
Aristot. Rhet.
III. 5.

Phavorin.

multis sententiis refertæ & quasi stipatæ [πυκνότητα enim & σφίγγειω
quandam σνώδσειω significare invenimus] in tantam excrescunt lon-
gitudinem, ut εὐφραστον amplius vel εὐανάγνωστον τὸ γεγραμμένον
haud sit: hoc est, ut spiritus ei pronuncians recitansque non suffi-
ciat, adeoque facile legi atque proferri non possit. Alterum, quod
interpretem turbavit, est, quod pessimam lectionem in loco ex Hera-
clito allegato fuerit secutus: pro τῶ δ' εὐντ⊕ enim legendum erat
τῶ δέοντ⊕. Quam posteriorem lectionem jam annotatam quidem
video in margine editionis operum Aristotelis Casaubonianæ; attamen
nunc quidem eam Clementis Alexandrini firmo autoritate, qui
emendatiorem non tantum, sed magis etiam integrum Heracliti lo-
cum nobis conservavit, quem in Stromatibus suis ita repræsentat:

Clem. Alex.
Strom. V.
p. 602.

τῶ λόγῳ τῶ δέοντ⊕ αἰεὶ ἀξύνετοι γίνονται ἄνθρωποι, καὶ πρῶ-
θεν ἢ ἀκῆσαι, καὶ ἀκῆσαντες τὸ πρῶτον. Jam denique observa-
tis istis haud erit difficile versionem verborum Aristotelis, Riccobonia-
na haud paulo magis luculentam concinnare. *Omnino autem, ita in-
terpretarer, oratio, quam in chartam coniecimus, pronunciatu & lectu
facilis esse debet. Hoc ipsum vero est, quod stipatæ sententiis periodi
non habent, nec ea, quæ interpungere facile non est, uti Heracliti scripta.
Namque Heracliti scripta interpungere res difficilis est, ideo quod obscu-
rum sit ad quam orationis partem [vox aliqua] pertineat, utrum ad an-
tecedentem, an vero ad consequentem. Quale est, quod sub initium operis
ejus occurrit. Inquit enim: Rationem ejus quod oportet [sive decet]
semper minime homines intelligunt. Incertum enim est ad utram o-
rationis partem illud semper distinctione referas.* Quam parum ita-

† Hieron. L. I.
adv. Jovin.
Vid. Diog. La-
ert. L. II. Segm.
22. L. IX. Segm.
6. 8. 13. Clem.
Alex. Strom.
V. pag. 371.
Autor. Alle-
gor. Homeric.
Demetrius
Phaler. Lib. de
Elocut. Cicero
de Nat. Deor.
l. 26. III, 14. Id.

que præsidii Heraclitum lecturis jam olim in Grammaticis positum
fuerit, istis edocemur. Ast neque feliciore in eo interpretando, quod
sub initium monuimus, Philosophos fuisse Hieronymus † testis est.
*Heraclitum, inquit, quoque cognomento σκοτεινὸν, sudantes Philo-
sophi vix intelligunt.* Et certe otio meo abuti merito dicerer, si de
pluribus conquirendis veterum scriptorum, obscuritatem Heracliti
commemorantium, locis nunc essem sollicitus. Quæ etsi facillimo ne-
gotio longissima serie adtexere potuissem, præter rem tamen id fore
putavi, tum quod istud argumentum alibi uberius sit tractandum; tum
quod nemo facile veterum Heracliti vel obiter saltem meminere, a
quo non cognomine minimum, tanquam stigmatē quodam, obscura
ejus indoles fuerit notata.

§. II.

§. II. Quamvis autem hoc ipso scribendi genere haud paucorum incurrisse reprehensionem ille videatur, interque eos a Sillographo quoque, quem satis maledicentia atque *μισανθρωπία* sua, in totius quippe odium generis humani evectum, famosum reddidit, ludicrum *αἰνικτῆ* reportaverit cognomen; facile tamen aliorum Philosophorum defendere eum possem exemplis, qui ne indignis parent secretiore recessus, velum iis prætere simili modo non dubitarunt. Eorum enim cum alios haud paucos nominare liceret, tum illos præcipue quorum meminit Sextus contra Mathematicos disputans. Verum nobis defensoribus Heraclito opus non est, pro quo causam eloquentissimus Romanorum dudum peroravit. Ille enim ex duobus capitibus obscuritatis hujusmodi institui posse defensionem arbitratus, ex priori culpa eam in Heraclito vacare contendit. *Et tamen vide, inquit, ne si ego non intelligam quid Epicurus loquatur, cum Græce, ut videor, luculenter sciam, sit aliqua culpa ejus qui ita loquatur, ut non intelligatur. Quod duobus modis sine reprehensione fit: aut si de industria facias, ut Heraclitus, qui cognomento σκοτεινὸς appellatur, quia de Natura nimis obscure memoravit, aut quod rerum obscuritas facit non verborum ut non intelligatur oratio, qualis est in Timæo Platonis.* Verum posterius quoque hoc eodem jure quo Platonis, Heracliti etiam causæ inserviet. Certe non multum Timæi argumentum, ab eo quod ille in operibus suis tractavit disfidere videtur. In explicanda enim rerum natura ea potissimum versata fuisse, ex eo ipso quod dubitasse, olim nonnullos Sextus ait, *εἰ μὴ μόνον φυσικός ἐστὶν ἀλλὰ καὶ ἠθικός φιλόσοφος Ἡράκλειτος*, abunde constare existimo. Ast vero *φύσις κρύπτεσθαι φιλεῖ*, ut ipsius utar Heracliti verbis, quæ celebris Sophistæ diligentia conservata fuerunt.

§. III. Verum de istis omnibus, & cæteris, quæ huc pertinent, alibi plura Lectores expectent. Pauca enim ista eo a me fine saltem prolata fuerunt, ut quam obscuritas Heracliti apud sapientissimos viros veniam promeruit, mihi quoque exorem, si principium a quo ipse res omnes naturales deduxit indaganti, in obscurissima illa nocte impingere nonnunquam atque labare contingat. Certe pro Delio natatore, qualem requirere Heracliti scripta Socrates dicebat, me vendere non audeo, bene mecum agi existimaturus, ubi qualem-

de finib. II, 7.
Lucretius L. I.
v. 640. Seneca
Epist. XII.
Plinius Hist.
N. VII, 19.
Laert. L. IX.
Segm. 6.

Laert. I. adv.
Mathemat.
p. 60.
Cic. L. II. de
finib. c. 7.

Sext. Emp. adv.
Mathemat. L.
II. p. 139.
Themist. Orat.
XII.

Laert. L. II,
Segm. 22.

qualemcunque diligentiam meam, rerum harum intelligentibus non improbari intellexero. Quod eo facilius ab æquioribus me puto impetraturum, quod non obscuritas tantum Philosophi mei multum me exerceat, sed magis etiam adhuc mihi obsit infaustum illud naufragium, quo omnia ejus scripta perierunt. Quam vero difficile sit ex paucis, quæ ægre illud evaserunt tabulis, sive fragmentis, integram molem ita restituere, ut nulla ex parte manca mutilaque appareat, illi norunt, qui ex insignibus magis ruderibus, simile quoddam ædificium excitare unquam aggressi fuerunt.

§. IV. Ut autem ad rem tandem accedam, omisissis subtilioribus, & loco huic minime convenientibus, Philosophorum de principii & elementi discrimine disceptationibus, breviter saltem quid per principium intelligendum sit indicabo, ne vaga huic voci notatione relicta, nostra de Principio rerum naturalium ex mente Heracliti tractatio aliquid obscuritatis contrahat. Principia igitur sive ἀρχαί, ut verbis Plutarchi utar, ἕτερον συνθέτης φασὶν εἶναι ἕτερον ἀποτελέσματα, οἷον σοιχεῖα μὴ καλεῖται. ἀρχαί δὲ λέγονται διὰ τὸ, ὅτι ἕκαστον ἔχει τὸ πρότερον ἐξ ἧς γεννᾶται, ἐπεὶ ἕκαστον ἔστι ἀρχὴ τῆς τοῦ ἀλλοῦ ἐκείνου ἐξ ἧς γεννᾶται. Vel si magis cuiquam placet e concisis magis Philosophi verbis principii naturam discere, habeat sibi illa: πασῶν μὴ ἓν, inquit, κοινὸν τῶν ἀρχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὃθεν ἢ ἔστιν, ἢ γίνεσθαι, ἢ γινώσκειται.

§. V. Id igitur quod primum in rebus naturalibus est, & a quo reliqua omnia sunt atque fiunt, I G N E M ex mente Heracliti esse plerorumque testimoniis constat. Sic enim ipse Aristoteles postquam aliorum quorundam de πρώταις αἰτίαις sive principiis attulisset sententias, Ἰππασος δὲ, inquit, πῦρ ὁ μεταποντῖν ἢ Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσι ἀρχὴν τιθέασιν τῶν ἀπλῶν σωμάτων. Simili modo Plutarchus Ἡράκλειτος ἢ Ἰππασος ὁ μεταποντῖν ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ πῦρ [τιθέασιν], ἐκ πυρός γὰρ τὰ πάντα γίνεσθαι, ἢ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾶν λέγουσι, & paucis interejectis: ἀρχὴν ἓν τὸ πῦρ [φασίν] ὅτι ἐκ τῆς τῶν πάντων τέλει δὲ ὅτι καὶ εἰς τὸ ἀναλύεται τὰ πάντα. Stobæus: Ἡράκλειτος ἢ Ἰππασος ἀρχὴν τῶν ἀπαντων [λέγουσι] τὸ πῦρ. Sic & Diogenes Laertius, ad quem inter primos provocare debebam, ubi de Heraclito agit: ἐδόκει αὐτῷ ἐκ πυρός τὰ πάντα συνεσθῆναι καὶ εἰς τὸ ἀναλύεσθαι.

Plut. de Plac.
Philos. L.I.c.2.

Aristot. Me-
taph. L.IV. c.I.

Aristot. Me-
taph. l. I. c. 3.

Plut. de Placit.
Philos. l. I. c. 3.

Stob. Ecl. Phys.
l. I. p. 27,

Diog. Laert. L.
IX. Segm. 7.

λύεσθαι.

λυέσθ. Et paulo post inter δόγματα ejus refert, quod docuerit ib. Segm. VIII.
 ἓνα εἶναι κόσμον, γεννᾶσθ' ἴε αὐτὸν ἐκ πυρὸς, καὶ πάλιν ἐκκη-
 ρῆσθ. Similia de Heracliti opinione circa principium rerum na-
 turalium sese accepisse testantur Patres Christiani. Inquit enim
 Justinus Martyr: Ἡράκλειτος ὁ μεταπύοντι [vel ut rectius le- Justin. Mart.
 gendum esse jamdudum observavit Sylburgius Ἡράκλειτος κα- Parænet. p. 4.
 θάρπερ καὶ Ἰππασος ὁ μεταπύοντι] ἀρχὴν τῶν πάντων τὸ Sylb. in not.
 πῦρ εἶναι λέγει. Similiter Hermias facete, ut solet, in diversas p. 1.
 partes abeuntes Philosophorum sententias irridens, Ἴσως ἂν, in- Hermias Irris.
 quit, πειθεῖν τῷ καλῷ Δημοκρίτῳ, καὶ βελοῖμην ἂν σὺν αὐτῷ Gent. Philos.
 γελαῖν, ἢ μὴ μελαπείθοι μὲν Ἡράκλειτος, κλαίων ὁμῶς καὶ λέ- p. 184.
 γων, ἀρχὴ τῶν ὅλων τὸ πῦρ. Ast cur moror tamdiu ad Clemen- Clem. Al.
 tem Alexandrinum provocare, cujus instar omnium mihi esse Strom. V. p. 399.
 debebat autoritas, quod ipsis Heracliti verbis, ab eo citatis, il-
 la fulciatur? Sic enim inter alia, in Physico procul dubio
 libro, quem eum scripsisse nonnulli, & ipse Clemens alibi,
 ajunt*, locutum esse Heraclitum testatur: ὁ κόσμος ἦν καὶ ἔστι
 καὶ ἔσται πῦρ αἰείζων ἀπλόμυρον μέτρα καὶ ἀποσβευνύμυρον
 μέτρα, ubi tamen pro μέτρα μετρω rectius legi, dudum Viri do-
 cti observarunt. Quæ Eusebius in Præparationum Evangelica-
 rum libris hac de re affert, ex Plutarcho desumpta esse ipse fate-
 tur. Unicus itaque adhuc e Græcis Theodoritus prodeat, & quid
 ipse de Heracliti principio didicerit exponat. Ἰππασος δὲ, in- Theodorit.
 quit, ὁ μεταπύοντι, καὶ Ἡράκλειτος ὁ βλύσων ἐν εἶναι Therap. IV. p.
 τὸ πᾶν [Φασὶν] ἀκίνητον καὶ πεπερασμένον. ἀρχὴν δὲ τὸ πῦρ 58.
 ἐρχηκέναι.

§. VI. Mirabitur forte æquus etiam Lector, cur tot allatis
 autorum testimoniis eum obtundam, verum muniendum tot au-
 toritatibus fuit quod dixi, IGNEM rerum naturalium princi-
 pium ab Heraclito statui, ne rebus minus accurate expensis hoc
 affirmasse cuiquam videar. Sunt enim, ut infra patebit, qui a-
 liam de Principio rerum naturalium ei sententiam adscribere vi-

B deri

* Laert. l. 9. Segm. 5. Plutarchus adv. Colot. T. II. Opp. p. 1215. Clemens Al.
 Strom. V. p. 371. aliter tamen paulo de *Heracliti de natura* libro censuit
 Diodorus Grammaticus apud Laertium L. IX. Segm. 15. Vid. etiam de
 eo quadam minime vulgaria apud Svidam in *Δηλίε κολουμβητῆ*.

deri queant. Tantum itaque abest, ut a me quicquam hac ex parte fecius admissum esse existimem, ut neutiquam dubitem, hactenus allatis, aliquot adhuc eorum, quorum egregia in Philosophia apud Romanos laus fuit, loca subjungere. Luculenter igitur Lucretius:

L. I. v. 636.

*Quapropter qui materiam rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere solo,
Magnopere a vera lapsi ratione videntur.
Heraclitus inquit quorum Dux praelia primus.*

Ubi, ut obiter id moneam, ita accipiendus haud esse ultimus videtur versus, quasi primus hujus opinionis autor Heraclitus fuerit, ea enim de re Hippasum cum eo contendere posse, si quis existimet, non omni eum cariturum esse fundamento putarem: sed quod primas inter illos, qui istam sententiam teneant, teneat, utpote qui sapientiae fama ceteros, qui eam amplexi sunt longissime antecellat. Verum ut finem hisce tandem, faciam Cicero quoque *Empedocles*, inquit, *pervulgata & nota quatuor: Heraclitus ignem esse dixit, e quo omnia gignerentur.* Idemque alibi Balbum alloquens, *Omnia vestri, ait, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes.*

Academ. Qu.
L. IV. c. 37.
De Nat. Deor.
L. III. c. 14.

§. VII. Ista omnia quicumque expenderit, exploratissimam sibi esse Heracliti de principiis rerum sententiam haud immerito judicaverit. Attamen deprehendi nihilominus, non usque adeo eodem ore semper veteres loqui, ut non mutent quandoque linguam, & ancipites reddant curiosos veterum opinionum indagatores. Ut simplicissime rem proponam, eam prout animo meo sese repraesentavit nunc repetam. Incideram in locum Aristotelis antiquorum varias de anima opiniones recensentis, qui inter reliquos Heraclitum quoque producit, atque ejus de illa sententiam his verbis explicat: *καὶ Ἡράκλειος δὲ τὴν ἀρχὴν εἶναι φησὶ τὴν ψυχὴν, εἴπερ τὴν ἀναθυμίασιν ἐξ ἧς τὰλλα συνίστησι καὶ γὰρ ἀσωματώτατον δὴ καὶ ῥέον αἰεὶ.* Verba ista primo obtutu haud parum obscuritatis habere mihi videbantur, imprimis autem satis capere non poteram, quid ista sibi vellent, τὴν ἀρχὴν

Lib. I. de anima c. 2.

ἀρχὴν

ἀρχὴν εἶναι Φησι τὴν ψυχὴν. Implorabam auxilium interpretis
Argyropyli, verum illum plus obscuritatis quam lucis oculis meis
offundere sentiebam. Theodoritum itaque adivi, quem ita ex-

Therap. V.

p. 73.

De anima c. 5.

παραμυθίδης καὶ Ἰππασίου καὶ Ἡράκλειτος πυρώδη τὴν ψυχὴν κεκλήκασιν.
Simili modo eam repræsentare postea comperi Tertullianum, qui
inter eos, qui *de manifestis corporalibus animam effingunt* Hippar-

cum & Heraclitum refert, qui *ex igni* eam constare statu-
ant. Jam secundum istos autores merito dici posse existima-

bam τὴν ἀρχὴν εἶναι τὴν ψυχὴν, hoc est principium, sive
ejusdem naturæ cum principio, a quo res omnes Heraclitus de-
ducit, animam ex ejus sententia esse. Pro principio enim ha-
bet ignem, & igneam quoque animæ naturam, si istos sequa-

mur tribuere videtur. Ast vero Aristoteles non ignem sed ἀνα-
θυμίασιν animam juxta Heraclitum esse ait, quam vocem *vaporem*
sive exhalationem vulgo significantem, ipsum aerem hic, ubi
de Heracliti placitis sermo est, interpretari non dubitavi, utpote
qui ex ejus mente rectius explicata ἀναθυμίασις quædam est,

Plut. de Placit.

Philos. l. i. c. 3.

καὶ Ἰππασίου ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ πῦρ εἶναι Φησι — ἴσως δὲ κα-
τασκευασμένον κοσμοποιεῖσθαι τὰ πάντα. πρῶτον μὲν γὰρ τὸ πα-
χυμερές αἴθρῃ εἰς αἴθρῃ συσπλόμνον γῆ γίνεται. ἔπειτα ἀνα-
χαλωμένην τὴν γῆν ὑπὸ τῆς πυρὸς φύσει ὕδωρ ἀπολεῖσθαι, ἀνα-
θυμιάσιν δὲ ἀέρα γενέσθαι. Si igitur ἀναθυμίασις sive aer
est anima, & ἀρχὴ tamen etiam est, hoc est ejusdem cum eo,
quod pro principio Heraclitus agnoscit naturæ, sequetur inde
ἀναθυμίασιν sive *aerem* principium rerum naturalium ex ejus
mente esse. Illorum enim utrumque ac proinde hoc etiam,

quod ex illis sequitur, velle sibi Aristotelis verba videntur, quæ
ita ego exponebam: *Heraclitus quoque ejusdem, cum principio,*
naturæ animam esse ait, siquidem aer illa sit: ex quo reliqua con-
stant, utpote omnium maxime simplici, & in continuo motu consti-
tuto. Quamvis autem ultima hujus ῥήσεως verba, quæ ex aere,
reliqua constare, utpote omnium maxime simplici, & in conti-
nuo motu constituto, dicunt, aptissima esse videantur, quæ cui-

B 2

quam

quam persuadeant, aerem hic principium constitui; nunquam tamen animum inducere potui, ut firmiter ei inniteretur. Nam, animæ quidem aeream tribui naturam, & Heraclitum illius sententiæ dici autorem non multum me turbavit, utpote cujus rei

De anima c. 9. luculentum testimonium apud Tertullianum quoque extare nos-
conf. & c. 14. sem, quem igitur alium, inquentem, animæ aestimabis colorem quam
aerium ac lucidum? non ut aer sit ipsa substantia ejus, etsi hoc Æ-
nesidemo visum est & Anaximeni: puto secundum quosdam & He-
arclito. Imo & apud Plutarchum cujus verba maxime perspicua, &

De Plac. Phi-
lof. IV, 3.

ad loci Aristotelici illustrationem imprimis facientia adscribere,
non gravabor. Ἡράκλειτος, inquit, τὴν μὲν τῶν κόσμου ψυχὴν
ἀναθυμίασιν εἶναι. Φησὶν ὅτι τῶν ἐν αὐτῷ ὑγρῶν, τὴν δὲ ἐν τοῖς
ζώοις ἀπὸ τῆς ἐκτὸς, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς ἀναθυμιάσεως ὁμογενῆ.
Attamen ut pro Principio Heracliteo aerem sive ἀναθυμίασιν il-
lam admitterem ægre mihi persuadere poteram: præcipue cum,
in Plutarchi loco ἐξ ὑγρῶν illa fieri dicatur, ὑγρὰ autem ista hoc
est aqua, ξηρὰ id est terram, hæc vero denique ignem tanquam
primum principium, secundum Heracliteum res ex se invicem,
deducendi modum supponant. Putavi igitur aliquando apud A-
ristotelem pro εἶπερ legendum ἤπερ vel ἤπερ, ita ut sensus sit:
Heraclitus quoque ejusdem cum principio, [quod ignem ex men-
te ejus esse tanquam notum, & alibi a se indicatum Philosophus
supponit] nature animam esse ait: vel etiam [secundum quosdam,
ut supra dicebat Tertullianus] aerem. Verum hac ratione ma-
le cohærebunt cum præcedentibus ultima. Si principium enim
in isto loco aer non constituitur, quomodo de eo dici poterit,
quod reliqua ex illo constant? item quod omnium maxime sim-
plex existat? Ast enimvero utcunque tandem accipiatur ille A-
ristotelis locus, meam saltem conjecturam de aere pro Heracliti
principio a quibusdam agnito, non vanam omnino fuisse claris-

adv. Mathe-
mat. IX. p. 367.

sime edocuit me Sextus Pyrrhonius, cujus integrum proin-
de locum representasse haud forsan pigebit: Περὶ τῶν ἀνωτά-
των, inquit, καὶ δευτερευόντων στοιχείων δύο μὲν αἱ πρῶται γεγό-
νασι γὰρ πλείους δὲ κατ' εἶδος. οἱ μὲν γὰρ σώματα ἔλεξαν
εἶναι τὰ τῶν ὄντων στοιχεία, οἱ δὲ ἀσώματα καὶ τῶν σώματα φα-
μένων.

μένων, Φερεκύδης υἱὸς ὁ Σύριος γῆν ἔλεξε πάντων εἶναι ἀρχὴν
καὶ σοιχείου θάλης δὲ ὁ Μιλήσιος ὕδωρ. Ἀναξίμανδρος δὲ ὁ ἀ-
κυσῆς τέτρα τὸ ἀπειρον. Ἀναξίμενης δὲ καὶ Ἰδαῖος ὁ Ἰμεραῖος,
καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης, καὶ Ἀρχέλαος ὁ Ἀθηναῖος, Σω-
κράτης δὲ καθηγητής, καὶ κατ' ἐνίχς ὁ Ἡράκλειτος τὸν αἶρα.
Ἰππασος δὲ ὁ Μελαποντινὸς καὶ κατ' ἐνίχς Ἡράκλειτος,
πῦρ.

§. VI. Detur itaque hoc mihi, vel Sexto potius, fuisse
nonnullos qui ignem, fuisse alios qui aerem summum principium,
vel primam rerum naturalium causam ab Heraclito credi existi-
maverint. Ast unde quaeso illud discrimen? an male sibi ipsi con-
stare Heraclitum dicemus, modo sic modo aliter sentientem?
verum hoc credere nos haud finit summum ingenii acumen &
ἀνομιότης, quam passim non vulgus, atque inaneis, ut Lucretius
calumniatur, in eo mirati sunt: Qui omnibus aliis, ut Epicuri
fui laudibus inferviat iniquus, ita de Heraclito nostro ceci-
nit:

Lucret. L.I.
v. 640.

*Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis,
Quam de graveis inter Grajos, qui vera requirunt.
Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque
Inversis quae sub verbis latitantia cernunt.
Veraque constituunt, quae belle tangere possunt
Aureis, et lepidis quae sunt fucata sonore.*

Sed gravissimi inter Grajos, ipseque flos Graecorum sapientum,
imo ἀνδρῶν ἀπάντων Σωκράτης σοφώτατος. Quid igitur? ob-
scuritatis ejus dissensum hunc tribuemus? isti quidem omnino,
uti ego existimo, rectius, quam cuiquam alteri causae. Ast quo-
modo nodum hunc tandem expediemus? & quinam anguli ad-
eundi erunt atque recessus, genuinam mentem ejus perquisituris?
Mihi quid de ea re venerit in mentem, exponam ingenue, suo
sensu alios facile abundare passurus. Nec aerem itaque nec i-
gnem, quem nos vulgo appellamus, pro principio Heraclitum
habuisse statuo, sed minimas quasdam atque indivisibiles parti-
culas sive ramenta, in continuo motu positas, atque celerrime a-

Laert. L. II.
Segm. 22.
conf. L. IX.
Segm. 6, 15.
blem. Al. Str.
II. p. 362.

gitatas. Quasum naturam, cum ipsæ ob tenuitatem sensibus mi-
 nime pateant, ut aliquatenus exprimeret, ignem eas appellavit vel
 aerem, quod ad igneam aereamque naturam earum conditio pro-
 xime accederet. Nam ignem quidem quod attinet, naturam e-
 jus potissimum constituere τῶν τε μορίων σμικρότητα καὶ τῆς
 n Timæo. Φορέας τὸ τάχος Plato quoque agnovit. Et certe illud, ὃ
 Meteorst. I, 4. διὰ σωήθειαν καλεῖμεν πῦρ, aliud esse ab eo quod proprie ignis
 est ipse nos docet Aristoteles. Unde idem alibi egregie ad Hera-
 Metaphys. I, 7. cliti mentem illustrandam faciens, τῆτο δὲ, inquit, πρὸς τὸ πρό-
 τερον εἶνα καὶ ὑστερον διαφέρει πλεῖστον. τὸ μὲν γὰρ ἂν δόξειε σοι-
 χειωδέστατον εἶναι πάντων, ἐξ ἧ γῆ γίνεται συγκρίσει πρώτα.
 τοῦτο δὲ τὸ μικρομερέστατον καὶ λεπτότατον ἂν εἴη τῶν σωμά-
 των. διόπερ ὅσοι πῦρ ἀρχὴν τιθέασιν, μάλιστα ὁμολογημένως ἂν
 τῷ λόγῳ τῆτο λέγοιεν. Quæ quidem a Sonero ita translata fue-
 runt: *Multum refert ad assignandum principium, quod omnibus
 esse prius debet, attendisse, quodnam corporum tenuissimarum &
 minimarum partium esset. Hoc enim maxime elementi rationem
 subire potest, ex quo primo res minimarum partium & tenuissimo-
 rum corporum conjungi possunt: Ideoque huic rationi maxime con-
 sentanea locuti sunt, qui ignem principium fecerunt, utpote qui sit
 subtilissimarum partium. Verum sensum & verba Philosophi fa-
 tis accurate reddidisse haud videtur, quæ parum luculenter etiam
 transtulit Bessarion, obiter itaque lucis nonnihil iis inferre tenta-
 bimus. Plurimum peccare inquit eos, qui generatim materiam
 rerum naturalium principium statuunt, interque alia etiam eo,
 quod non attendant, quomodo quatuor illorum, ignis, aeris, aquæ,
 & terre ex altero alterum ordine procedat atque gignatur. Jam
 inquit, hoc ipsum autem multum refert, ut cognoscamus inde prin-
 cipium ex quo omnia fiunt, & in quod omnia resolvuntur. Id ipsum
 enim primi elementi rationem quam maxime habet, e cuius, tan-
 quam primi, concretionem reliqua nascuntur. Tale vero est, quod o-
 mnium corporum tenuissimum existit, minimisque partibus constat.
 Quapropter ii, qui ignem principium statuunt, huic doctrinae maxi-
 me consentanea fuerunt locuti. Antequam ab hoc loco disce-
 dam, mpendum id saltem esse duco, quod vocem γῆ in verbis
 istis*

istis ἐξ ἧ γῆ γίνεσθαι, studio in versione prætermiserim, cum nec
 Bessarion, nec Sonerus eam in translationibus suis agnoscant, &
 certissimum sit, nullum eam hic fundere sensum, atq; librarii adeo
 deberi errori, quem prima syllaba vocis γίνεσθαι peperisse videtur.
 Ex his vero uti puto satis patet, quam non immerito ignem appella-
 verit principium suum Heraclitus, cum igneæ naturæ adeo vici-
 num illud esse animadverteret. Similiter res sese habet cum ae-
 re, namque illum quoque & subtilissimis & maxime mobilibus
 particulis constare plerorumque sententia fert. Unde & in su-
 pra allato loco Aristoteles ἀσώματωτάτον καὶ ῥέον αἰὲρ aerem di-
 cit, alibi etiam de igne simili fere modo locutus, ubi τὸ πῦρ αἰὲρ
 ῥέον esse affirmat. Ast forsitan me corpusculari Philosophiæ, quæ
 hodie apud omnes celebratur, favere, corpusculaque adeo parti-
 culas atque ramenta offendere aliquis opinabitur, ubi nihil eorum
 occurrit, simili quodam cum ictericis morbo laborantem. Sed
 aliter puto de me sentiet, ubi optima autoritate sententiam meam
 confirmare me posse acceperit. Est autem ea Plutarchi, qui post-
 quam narrasset, Empedoclem ante quatuor elementa ponere quæ-
 dam minutissima fragmenta tanquam elementa elementis priora,
 mox subjicit: Ἡράκλειτος ψηγματία τινα ἐλάχιστα καὶ ἀμερῆ
 εἰσάγει. Quod etiam, ne tanquam ἀπαξ λεγόμενον hoc aliquis
 vilipendat, testatur Stobæus, diligentissimus veterum opinionum
 indagator, inquiens: Ἡράκλειτος πρὸ τῶ ἐνός δοκεῖ τισὶ ψη-
 γματία καταλείπειν. Ubi sive universum mundum per τὸ ἐν in-
 telligas, quem ἓνα & ἐν eum dixisse, ex Laertio, Theodorito & aliis
 constat: ita ut sensus sit, *Heraclitum ante hunc mundum ramenta
 quedam extitisse statuere, quæ eadem sint cum principio ejus, quod
 ignem etiam aeremve soleat appellare*: Sive unicum ejus principi-
 um, nimirum ignem, per τὸ ἐν designari statuas, ut adeo sensus sit,
*Heraclitum ante unicum illud principium ramenta adhuc quedam
 constituisse illo priora*, mihi quidem erit perinde. Nisi quod si hoc
 sensu Stobæi locum exponas, paulo aliter videatur sententia Hera-
 cliti ex Stobæi mente esse explicanda. Tum enim proprie lo-
 quendo primum rerum naturalium principium ψηγματία erunt,
 quæ in ὕλην aliquam crassioris paulo naturæ deinceps coalescentia
 IGNEM

L. I. de anima
 c. 2.
 De Juv. & Se-
 nect. c. 3.

De Placitis
 Philos. I, 13.

Eclog. Phys. c.
 XVII. p. 32.

Laert. L. IX.
 Segm. 4. Theo-
 dorit. Theo-
 drax. IV. p. 34.
 Stob. Ecl. Phys.
 L. I. c. 25. p. 52

IGNEM constituerint tanquam primum elementum, acceptis
 eo, quo Plutarchus capit, sensu principii & elementi vocabulis.
 Res tamen eodem redibit, & duplex saltem ignis erit distinguen-
 dus, elementaris nimirum & crassior, a subtiliori, hoc est, ipsis il-
 lis ψηγματίοις varie & celerrime agitatis. Ea enim ignis nomine
 ipsi venire patet ex illis locis, quibus ea tribuit igni, quæ
 non nisi in id, quo nihil existit prius cadere possunt. Quale est,
 quod ἐκ πυρὸς πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς πῦρ τὰ πάντα τελευτᾶν,
 hoc est, omnia omnino ex igne fieri, & in illud ultimo resolvi di-
 cat. Item quod αἰδίων περιοδικὸν πῦρ esse statuatur: αἰδίῳ vero
 nihil prius dari posse videtur. Imo quod clarissime omnia anteri-
 ora excludat videtur apud Clementem Alexandrinum, in qui-
 ens: κόσμον τὸν αὐτὸν ἀπάντων ἔτε τις θεῶν ἔτε ἀνθρώ-
 πων ἐποίησεν, ἀλλ' ἦν καὶ ἴσθι, καὶ ἔσται πῦρ αἰείζων. Ex mea
 itaque sententia ψηγματία illa si igne priora erunt constituenda,
 de igne crassiore id intelligendum est, ipsa vero etiam in continuo
 motu posita, IGNIS Heraclitei, ex quo omnia nascuntur, nomine
 venire crediderim.

§. VII. Videtur itaque Heraclitus id omnino rerum na-
 turalium constituisse principium, quod solum verissimum est. Ma-
 teriam nimirum simplicem, indivisibilem & insensibilem illam,
 quam sive σωματία & μονάδας cum Leucippo, sive νασὰ cum De-
 mocrito, sive ἀδιαίρετα cum Metrodoro Chio, sive ἀτόμος cum
 Epicuro, sive denique ψηγματία cum Heraclito appelles, rem sem-
 per denotabis eandem. Sane enim ψηγματία ista, ut a Plutar-
 cho supra ea describi audivimus, ἐλάχισα καὶ ἀμερῆ, ab Atomis
 quoad substantiam suam nihil different, sive ex mente Epicuri A-
 tomum cum Gassendo definiamus, quod sit plena quedam seu va-
 cui expers solidaq; adeo natura, quæ non habet, qua ex parte aut
 quomodo fissuram admittat, sicq; dissolvatur, sive cum aliis materi-
 am illum esse simplicem, indivisibilem & insensibilem statuamus.

§. IIX. Inaudita & ab omni verosimilitudine aliena ne-
 mini spero hæc mea videbitur sententia, quæ, ut ego quidem autu-
 mo, clarissimis argumentis innititur. Nec ei oberit, credo, per-
 vulgata opinio, quæ corpuscularis Philosophiæ professionem Leu-
 cippo,

De Placit. Phi-
 los. I, 2.

Plut. de Placit.
 Phil. I, 3.

Stob. Ecl. Lyf.
 L. I. c. 1. p. 2.

Clem. Al.
 Strom. V. p. 599.

Gassend. Phys.
 Sect. I. III. c. V.
 p. 254.

cippo, Democrito atque Epicuro inter antiquos solis fere vindicat. Sane multo antiquiorem eam esse pervulgata Strabonis & Sexti Empirici loca abunde nos docent, qui Posidonii Stoici auctoritate affirmant Moschum Sidonium, Virum Trojanis temporibus antiquiorem, doctrinam illam jam fuisse amplexum. Imo Himerius quoque Sophista in Declamatione quam contra Epicurum, providentiam negantem, conscripsit, doctrinam Epicuri de atomis ab antiquissimorum hominum de Chao philosophia nihil differre, innuere videtur. Quod eo magis hic annotandum fuit, quoniam Orphei quoque Philosophia Chaos non ignoravit, a quo Heraclitum pleraque accepisse sua Alexandrinus Clemens testatur. Himerii autem locum integrum exscribere, & cum ab Interprete secus quam debebat, ut alia pleraque acceptus fuerit, versione illustrare non abs re fore ducō. Ἀλλὰ πόθεν, inquit, πρὸς τῶν Ἀτόμων καὶ τῆς Χάσς τῆς πολυθρυλλήτης ταύτης τὴν δόξαν ἐξεύρηκας; *Ast unde præter doctrinam de Atomis & Chao tantum celebrato, hancce opinionem invenisti?* Nimirum loquitur de opinione Epicuri quam circa providentiam divinam fovebat. Eam itaque unde acceperit eum compellans interrogat, nam de Atomis sive Chao, quam ille tenebat, opinionem, satis jam apud alios celebratam esse ait, ut adeo e quibus fontibus illam quidem derivaverit satis sibi constare testetur. Namque mox subjungit ἀλλ' δεχάμεν τὸ χάσθ' καὶ τῶν σῶν λόγων πρεσβύτερον. Imo quid multis? cum dudum doctissimus pariter Philosophus atque Theologus R. Cudworthus ostenderit, omnes fere Philosophos antiquos in hoc principio inter se invicem consensisse: Quod tamen de Heraclito speciatim demonstrasse eum non memini. Frustra enim in urbe nostra cedro dignum ejus opus, quod Mundi intellectualis Systema inscripsit, a me fuit quaesitum, quod obiter saltem ante annos aliquot mihi licuit inspicere. Quod si itaque nonnulla ad praesens institutum facientia in eo occurrant, facile tamen, appariturum confido scrinia ejus a me compilata non esse.

§. IX. Verum ut redeam ad ψηγματίων Heracliteorum describendam naturam, hætenus quidem satis clare exposuisse mihi videor, simplicia illa esse corpora, utpote quæ e nullis aliis componantur,

Strabo. L. XVI.
P. 757.
Sext. Emp. L.
IX. adv. Mathe-
mat. p. 367.

ap. Photium,
Cod. CCXLIII.
p. 1045.

Strom. VI. p.
692.

C

nantur,

nantur, ipsis reliqua omnia constituentibus, minima itidem, indivisibilia, & continuo eoque celerrimo motu agitata, unde ad ignis naturam proxime accedunt. Unicum adhuc eorum attributum clarius explicandum videtur, quod est adscripta eis ab Heraclito *æternitas*, de qua leviter quidem nonnulla jamjam attigi, in clariore tamen luce ea sunt collocanda. *Ἄιδιον* itaque τὸ περιδικὸν πῦρ Heraclitum statuere, hoc est, æternum esse ignem sive particulas igneæ naturæ, e quibus omnia fiunt, & in quæ certis temporum interjectis periodis iterum resolvuntur, testatur Stobæus. Magis autem luculentus in eam rem extat locus apud Clementem Alexandrinum, eo minus a nobis prætereundus, quod ipsius Heracliti verbis eum intertextum inveniamus. Ille postquam Empedoclis opinionem de mundo in ignem aliquando abitu-
turo exposuisset, ista subjungit: *Σαφές αἶμα Ἡράκλειτος ὁ ἐφέσιος ταύτης ἐστὶ δόξης, τὸν μὲν τινα κόσμον αἰδίδιον εἶναι δοκιμάσας, τὸν δὲ τινα φθειρόμηνον, τὸν κατὰ τὴν διακόσμησιν εἰδῶς ἔχει ἕτερον ὄντα ἐκείνῃ πῶς ἔχοντος. ἀλλ' ὅτι μὲν αἰδίδιον τὸν ἐξ ἀπάσης τῆς ἐξουσίας αἰδίδως ποιὸν κόσμον ἤδει, φανερόν ποιεῖ λέγων ἕτως· Κόσμον τὸν αὐτὸν ἀπάντων ἕτε τις θεῶν ἕτε ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἀλλ' ἦν καὶ ἕως καὶ ἕσα πῦρ αἰείζων ἀπλόμηνον μέτρῳ, καὶ ἀποσβεννύμηνον μέτρῳ. ὅτι δὲ καὶ γρητόν καὶ φθαρτὸν αὐτὸν εἶναι ἐδογματίζετο μνηύει τὰ ἑπιφειρόμενα πυρὸς τροπαί πρῶτον θάλασσαν. θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἡμισυ γῆ &c.* Geminum istis verbis mundum admittere dicitur Heraclitus, id quod prima facie pugnare cum ejus opinione alicui forte videatur, quam supra attigimus, ubi diximus, eum *ἕνα εἶναι τὸν κόσμον* statuere. Veruntamen ne utiquam ista sibi invicem contradicunt, paulo laxiori enim significatu *κόσμος* sive mundi vocabulum hoc loco venit, ut nimirum significet qualemcunque materiæ, mundum hunc constituentis, faciem sive conditionem. Eam itaque geminam esse ait, alteram *πυρὸς μὴ διακεκοσμημένης*, hoc est, ignis, sive particularum ignis naturam referentium, quæ *ἀραιώσῃ καὶ πυκνώσῃ* ita digestæ nondum fuerunt, ut eum, qui vulgo & proprie dicitur, mundum absolverent: & hoc est, quod per mundum æternum intelligit, clarissima enim verba ejus sunt: *κόσμον τὸν αὐτὸν ἀπάντων ἕτε*

τις

Ecl. Phys. L. I.
c. I. p. 2.
Strom. V. p.
599.

τις Θεῶν ὅτε ἀνθρώπων ἐποίησε, ἀλλ' ἦν καὶ ὅτι καὶ ἔσται πῦρ αἰεζῶν &c. inquietis. Alteram vero esse dicit, cum illæ particulae per varias τροπὰς πυκνώσεις & ἀραιώσεις in aquam, aerem, terram & reliqua elementa jam abierunt, mundumque hunc sensibilem constituunt: & hanc per κόσμον χρητὸν ἢ Φθαρτὸν designat. Hic enim mundus ex ejus mente gignitur, dum ignis, sive particulae igneae naturæ, πυκνώσῃ in crassiora corpora concrescunt, perit autem dum hæc in illas iterum dissolvuntur. Duobus istis locis, e quibus satis firmiter concludi posse videtur, pro æterno principium suum Heraclitum habuisse tertium addere liceat ex Plutarcho, e quo idem confici posse plane persuasum habeo. Loquitur ille de motu, atque Ἡράκλειτος, inquit ἡρεμίαν, καὶ στάσις ἐν τῶν ὅλων ἀνήρει, ἔστι γὰρ τὸ τῶν νεκρῶν κίνησις δὲ αἰδίου μὲν τοῖς αἰδίοις, Φθαρτὴν δὲ τοῖς Φθαρτοῖς [ἀπένεμμεν.] Per αἰδία vero quid aliud quaeso intelligat quam ψηγμάτια sua sive particulas igneae naturæ, quas æterno motu gaudere, ipsa quippe æterna existimavit? Nec mirum cuiquam videbitur in hac sententia de materiae æternitate Heraclitum fuisse, qui meminerit, neminem fere extitisse antiquissimorum Physicorum, qui ab hoc delirio penitus fuerit immunis. Videtur enim creatio ex nihilo mysterium esse humanae menti absque revelatione absconditum: Sane tantas in sapientissimorum etiam hominum animis radices olim egit opinio illa:

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam

ut ad ejus cognitionem penetrare vel pauci vel nulli potuerint.

§. X. Haecenus de Principio Heracliteo ejusque natura, quantum quidem ex fragmentis perquam exiguis, quibus commune illud naufragium evadere licuit, colligere est, prolixè satis actum fuit. Jam age videamus, quam gravem dicam scripserit omnibus fere iis, qui ante sese rerum naturalium descriptionem fuerant aggressi, quod principium tantum materiale constituerint, Aristoteles, interque eos ipsi quoque Heraclito nostro. Τῶν δὲ πρώτων, inquit, φιλοσοφησάντων, οἱ πλεῖστοι τὰς ἐν ὕλης εἶδει μόνον ᾗθησαν δεχθῆναι εἶναι πάντων. ἐξ ἧ γὰρ ὅτι ἀπαντα τὰ ὄντα, καὶ ἐξ ἧ γίγνεται πρώτη, καὶ εἰς ἧ Φθίρεται τελευταῖον, τῆς μὲν ὁσίας ὑπομνήσεως, τοῖς δὲ πάθεσι μελαβαλλέσεως, τὸ στοιχεῖον καὶ αὐτὴν ἴην δεχθῆναι

De Placit. Phil.
I. c. 23.

Metaphys. L.
I. c. 23.

C 2

Φασιν

Φαίνονται εἶναι τῶν ὄντων. καὶ διὰ τὸτο εἰδὲ γίνεσθαι εἰδὲν οἰοῦμαι, ὅτε
 ἀπόλλυται, ὡς τῆς τοιαύτης φύσεως αἰεὶ σωζομένης. Deinde ubi
 Thaletis, Anaximenis Hippasii & ipsius Heracliti exemplis hoc con-
 firmasset, pergat: Ἐκ μὲν ἔν τῶν μόνην τις αἰτίαν νομίσειεν ἀλλήν
 ἐν ὑλῆς εἶδει λεγομένην. προϊόντων δ' ἔτι αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡδο-
 ποιήσεν αὐτοῖς, καὶ συνηνάγκασε ζητεῖν. εἰ γὰρ ὅτι μάλιστα πᾶ-
 σα φθορὰ καὶ γένεσις ἐκ τινος, ὡς ἐνός εἰ καὶ πλειόνων εἶναι, διὰ τὸ
 τὸτο συμβαίνει, καὶ τί τὸ αἴτιον; εἰ γὰρ δὴ τόγε ὑποκείμενον αὐ-
 τὸ ποιεῖ μεταβάλλειν ἑαυτὸ ἀλλ' ἑτέρον τι τῆς μεταβολῆς αἴ-
 τιον, τὸ δὲ τὸτο ζητεῖν, ὅτι τὸ τὴν ἑτέραν δεχθῆναι ζητεῖν, ὡς ἂν ἡ-
 μεῖς φαίμεν ὅθεν ἢ δεχθῆναι τῆς κινήσεως. Tædet plura exscribere.
 Summa horum eo redit, male facere ejusmodi Philosophos in prin-
 cipiis omnium rerum constituendis, quod materiam solam princi-
 pium constituent, quæ per se immobilis sit, atque seipsam impelle-
 re mutareque nequeat, causam vero motus atque mutationis o-
 mittant. Atque hac ex parte rectius se gessisse Anaxagoram testa-
 tur, quem propterea cum illis comparatum sobrii instar inter e-
 brios esse dicit. Verbo solam materiam eos pro principio habuif-
 se omiffa vel abnegata causa efficiente, sive primo motore & δημι-
 οργῶν criminatur. Et sane ita per totam Physiologiam de sola ma-
 teria omnes ante Anaxagoram Ionici Philosophi, & post eos Hera-
 clitus, prætermiffis aliis omnibus causis differuere, ut non Aristo-
 oteles tantum, quem propriæ gloriæ studiosum, alienæ famæ asfi-
 duum nimis obtrectatorem fuisse nonnulli ajunt, sed alii quoque
 Viri eruditi suspicati sint, eos nullam omnino aliam agnovisse: &
 cum ea ratione causam primam efficientem sustulerint, Deum,
 quoque sustulisse.

Disp. I. Sect.
 V. p. 10.

§. XI. Memini tamen veteres Philosophos, Ionicos præ-
 fertim, ex instituto ab hac suspitione liberare fuisse annifum, su-
 pra nobis laudatum Cudworthum, cum quo sentire etiam video
 pietate eloquentia atque doctrina nuper illustrem Oxoniensium
 Episcopum Samuelem Parkerum, cujus verba ex aureo opere
 de Deo & Providentia divina non dividia erit hic adduxisse. At
 vero, inquit, nimio severe de iis judicare videntur (qui istam sen-
 tentiam nominatis Philosophis tribuunt); etenim videre non pos-
 sum

sum eos causam primam (hoc est Deum) tollere statuisse, sed solummodo per oscitantiam, aut potius ex scientia inopia de ea dicere omisisse. Quippe cum primi animos ad Philosophiam appulissent, magnum aliquid se affecutos fuisse opinati sunt, si qualis tandem esset rerum materia quodammodo explicarent, & proinde in ea questione excolenda aliquandiu hasisse, neque statim quicquam de causis, quæ superessent meditato maxime verosimile est. Mirum igitur videri non debet, si de iis penitus siluerint, de quibus dicere nunquam aut susceperant aut cogitaverant. Id quod animadvertit Simplicius. ὁ δὲ λόγος, inquit, τοῖς τοιαύτοις περὶ τῶν Φυσικῶν δόξων ἀλλ' ἔχει περὶ τῶν ὑπὲρ Φύσιν, hoc est de causa prima quam supra naturam existimabant nihil dixisse, quod de ea prorsus silere possent, quanquam nullo modo tollere statuerint, cum extra Philosophia naturalis institutum arbitrarentur quicquam de principiis supernaturalibus disputare. Et sane eos solum περὶ τῆς ὑποκειμένης, sive de rerum materia differere velle satis liqueat, quod cum in magna opinionum varietate constituantur, in hac tamen solummodo questione dissenserint. Cum hic aquam, ille aerem, alter ignem, quartus cum prædictis omnibus terram primum elementum e quo res fiant esse voluerit, at quo sine quave causa quicquam fieret querere non cogitarunt. Quam bene causam horum Philosophorum Parkerus egerit nunc quidem prolixius non inquiram. Sane ex instituto causam effectricem sive δημιουργόν eos non sustulisse ipsemet testimonium iis perhibere videtur Aristoteles ita in Metaph. L. I. c. 3.

Μετὰ δὲ τῆς καὶ τὰς τοιαύτας δόξας, ὡς ἔχει ἰκανῶν ἔσων γεννησάμεν τῶν ὄντων Φύσιν, πάλιν ὑπ' αὐτῆς ἀληθείας ὡσπερ εἰπομεν ἀναγκαζόμενοι, τὴν ἐχομένην ἐζητήσαν δόξαν. Ἔγὰρ εὖ καὶ καλῶς τὰ μὲν ἔχειν, τὰ δὲ γίνεσθαι τῶν ὄντων, ἴσως ἔτε γῆν, ἔτ' ἄλλο τῶν τοιαύτων ἔθεν, ἔτ' εἰκὸς αἰτιον εἶναι, ἔτ' ἐκείνης εἰκὸς οἰηθῆναι.

§. XII. Ast enimvero de Heraclitodubium forte cuiquam videri posset, an ex ignorantia vel incogitantia, vel quod de causis naturalibus, non vero supernaturalibus loqui aggressus tantum fuerit, δημιουργῶ sive primi motoris prætermiserit mentionem, sola materia igneæ naturæ in medium producta. Sane

his temporibus ille vixit, quibus efflorescens Anaxagoræ doctrina, eum poterat monuisse, ut hac de re quoque inciperet cogitare. Et alias quoque ejus de rebus naturalibus placita ita comparata sunt, ut dubiam quodammodo ejus religionem faciant. At tamen alia contra nonnulla in literarum nobis monumentis se offerunt, quæ Deum omnino, causam primam, motorem & δημιουργόν, e rerum universitate eum haud eliminasse nobis persuadere posse videntur. Proponam igitur præcipua, quæ utramque de Heraclito firmare possint opinionem, momenta, ut appareat quid maxime probabiliter de eo statuere debeamus.

§. XIII. Et quod rationes quidem attinet, quæ suspectam, ejus reddere possint de Deo tanquam principio agente sententiam, primo forsitan aliquis loco ponat, quod ipsum principium, suum, ignem inquam, Deum esse existimet. Luculenter enim de eo id affirmavit Alexandrinus Clemens: Παρμηίδης δὲ, inquiens, ὁ Ἐλεάτης Θεὸς εἰσηγήσατο τὸ πῦρ καὶ γῆν. Θάτερον δὲ αὐτοῖν μόνον, τὸ πῦρ, Θεὸν ὑπέκλεψε Ἰππασὸς ἢ ὁ Μεταποντῖν, καὶ ὁ Ἐφέσι Ἡράκλειος. Itemque Stobæus, qui verbis non multum dissimilibus ait: Ἡράκλειος Θεὸν εἰνάει φησὶ τὸ περιδοκὸν πῦρ αἰδίων. Adde etiam Tertullianum, qui contra Marcionem, indignum bono Deo mundi hujus opificium esse statuentem disputans, ait: *Ut ergo aliquid de isto hujus mundi indigno loquar, cui & apud Græcos ornamentum & cultus non sordium nomen est, indignas videlicet substantias ipsi illi sapientiæ professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, Deos pronunciarunt, ut Thales aquam, ut Heraclitus ignem, ut Anaximenes aerem, ut Anaximander universa cælestia, &c.* Verum nihil, vel parum admodum hoc argumentum, seorsim spectatum, facere mihi videtur, ad probandum impiam menti Heracliti de Deo fuisse sententiam. Nam is fere omnium veterum Physiologorum mos fuit, ut prima elementa sive principia, atque ἕλην ex qua omnia fieri statuebant, Θεὸς appellarent, quod vel ipse locus Tertulliani satis evincere videtur. Imo in mentem sibi revocet, cui dubia ista videntur, Hesiodicum opus quod Theogoniam appellat: in eo enim quid aliud fecit Poeta Φιλοσοφάτα, quam quod

res

Protrept. p. 42.

Ecl. Phys. L. I.
c. 1. p. 2.

L. I. contra
Marcion. c.
XII.

res Physicas five naturales Deorum nominibus indutas proponeret atque explicaret? Idem vero prope modum Heraclitum quoque fecisse clarissime nos docet Autor Homericarum Allego-
 rum, cujus en tibi verba: ὁ γὰρ σκοτεινὸς Ἡράκλειος ἀσαφῆ καὶ διὰ συμβόλων εἰκάζεσθαι δυνάμενα θεολογεῖ τὰ φυσικά. Facile itaque forsan Heraclitum rigidi etiam Areopagitæ essent absoluturi, nisi alia essent, quæ impeditam valde atque perplexam causam ejus reddere viderentur. Quæ vero ista? Κόσμον τόνδε, inquit Heraclitus, ἔτε τις Θεῶν ἔτ' ἀνθρώπων ἐποίησε, prout ejus verba nobis conservavit Plutarchus in Libro de animæ procreatione e Timæo. Quæ ne parum accurate allata esse quis existimet, ne apice quidem mutato etiam occurrunt apud Clementem Alexandrinum, loco supra representato. Ast hoc quoque argumentum elidere difficile non esse puto, ipse enim ille Clementis Alexandrini locus, ut supra monui, nos docet, de principio saltem Heracliti ista accipienda esse, quod æternum omnino statuit, a nemine Deorum vel hominum conditum id esse affirmans, utpote quod καὶ ἦν καὶ ἔστιν καὶ ἔσται πῦρ αἰεζώνον. Hoc autem cum aliis Philosophis, pene dixerim omnibus, ille habet commune, quorum nemo non materiæ æternitatem propugnavit, cum tamen propterea ἄνθρωποι δημουργῶντα omnes haudquaquam abnegaverint. Nec hoc itaque argumento cicutam meruisse Heraclitus potest, alio igitur eum urgebimus. Æternum dicit ignem suum: non inertem, ignavam, motu destitutam materiam eum esse putans, sed αἰεζώνον πῦρ ignem ab æterno vita & motu gaudentem, κίνησιν αἰδίων τοῖς αἰδίοις, ubi supra ex Plutarcho observavimus, tribuens. Nullum itaque motorem agnoscere videtur, utpote quo principio ejus, ab æterno motum a se ipso habenti, opus vix esse apparet. Accedit deinde quod nec in διοικήσει mundi hujus sensibilis Dei meminisse videatur, utpote quam πυκνώσει solum & μανώσει, quæ secundum eum uti Hermias loquitur δύο τὴν πύρρος πάθη sunt, καὶ εἰμαρμένην, secundum fatum, effici existimat. Sic enim Diogenes Laertius ait eum affirmare πάντα γίνεσθαι καὶ εἰμαρμένην. Sic Plutarchus: Ἡράκλειος πάντα καὶ εἰμαρμένην (scilicet φησὶ γίνεσθαι). Sic & Theodoritus:

T. II, Opp. p. 1014.

Strom. V. p. 399.

Irris. Philos. Gent. p. 174.

L. IX. Segm.

7. 8. de Placit. Philos. I, 27.

Therap. VI.
p. 27.

doritus: Ἡράκλειτος δὲ πάντα καὶ εἰμαρμένην εἴρηκε γίνεσθαι.
Iidem vero Plutarchus & Theodoritus ἀνάγκην δὲ, inquit, τὴν
εἰμαρμένην καὶ εἶπε ὠνόμασε. Ex his itaque omnibus num aliud
Philosophiæ Heracliteæ systema exstrui potest quam istud: tenuis-
simas particulas igneæ naturæ ab æterno exstare, motu item ab
æterno continuo agitari, inde fato sive necessitate, hoc est neces-
sariis motus legibus rarefieri & condensari, sicque in alia corpo-
ra universum hoc constituentia coalescere, nihilque adeo Deo
negotii in mundi Heraclitei constructione relinqui? Imo vero
potest. Ut taceam enim æternum quoque motum a Deo ex ejus
sententia istis imprimi ψηγματίοις potuisse, cui tamen conjectu-
ræ nunc magnopere insistere nolo, cum antiquitatis testimonia
clare hoc ipsum affirmantia producere non possim; in mundi
tamen διοικήσει, & moderatione atque directione æternorum
istorum motuum, ad producendam hanc mundi machinam, (ut-
pote quæ cæco impetu & motu fortuito exsurgere, tantoque ni-
tore ornari non potuit) necessaria, Dei operam mihi videtur cla-
rissime agnovisse. Nimirum rem omnem pendere ex genuina
εἰμαρμένης sive fati Heraclitei explicatione existimo. Illud qui-
dem ἀνάγκην vocare eum jam monui, quæ vox tamen saltem εἰ-
μαρμένης synonyma saltem est, hujus naturam luculente satis neuti-
quam exprimens. Videndum itaque an aliunde clariora de ea liceat
cognoscere. Immo licet omnino, est enim εἰμαρμένη secundum
Heraclitum λόγος ἐκ τῆς ἐναντιοδρομίας δημιουργός τῶν ὄντων,
teste Stobæo, hoc est, ut ego quidem interpretandum esse autu-
mo: *Est substantia intellectu sive mente prædita, quæ de motibus
contrariis res efficit.* Simili modo Plutarchus etiam εἰμαρμένην
ex mente Heracliti describit: Ἡράκλειτος, inquit, εἶπεν ἔσθαι εἰ-
μαρμένης λόγον τὸν διὰ τῆς εἰσίας εἰς πάντα διήκοντα Φησί. hoc
est, *Heraclitus fatum nihil aliud esse ait, quam substantiam mente
præditam, substantiam hujus universi permeantem.* Ast vero per
hanc substantiam mente præditam quem alium intelligam, quam
τὸν τῶν Ἀναξαγόρου ἢ πᾶντα διοικῶντα, hoc est ipsum Deum?
Sane eadem fere ratione, de principio suo agente, sive de Deo
loquuntur Stoici, qui τὸν ἐν τῇ ὕλῃ λόγον Θεὸν passim inculcant,
atque

Ecl. Philos.
c. L. p. 2.

de Placit. Phi-
los. I. 28.

atque principium agens esse dicunt, materiam principium pati-
 ens appellantes. Quorum quam exacte cum Heraclitea Philoso-
 phia placita hic conveniant, facili negotio possem ostendere, ni-
 si & temporis & chartæ, quod huic qualicumque μελετήματι de-
 creveram, spatium me vere implevisse cernerem, hoc ipso mo-
 nitus ad finem properandum esse. Faciam tamen alibi ut con-
 stet luculente quam multa Heraclito Stoica secta debeat, quod ex
 parte jam olim Ciceronem observasse memini. Id interim, ut-
 pote ad præsens negotium omnium maxime faciens silentio non
 possum præterire, illos quoque eadem qua Heraclitus ratione εἰ-
 μαρμένην sive fatum Deum appellasse. Producam ejus rei tres,
 eosque fide dignissimos testes, quos nunquam senatus Areopagi-
 ticus, cujus est in hujusmodi causis cognoscere, rejicere audeat.
 Primus esto Diogenes cujus in vita Zenonis ista leguntur ver-
 ba: ἐν τε εἶναι Θεὸν [Ζήνων Φησὶ] καὶ νῦν καὶ εἰμαρμένην καὶ Δία
 πολλαῖς δὲ ἑτέροις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι. Alter Tertul-
 lianus, qui in Apologetico ita inter alia Gentiles magistratus af-
 fatur: *apud vestros quoque Sapientes ΛΟΓΟΝ, id est sermonem,*
atque rationem constat artificem videri universitatis. Hunc enim
Zeno determinat factitorem, qui cuncta in dispositione formave-
rit, eundem & fatum vocari, & Deum, & animum Jovis & neces-
tatem omnium rerum. Sane hic locus imprimis ad rem facit,
 quod ex eo & εἰμαρμένην & ἀνάγκην Stoicos, Heracliti imitato-
 res, Deum appellare, videamus. Idem nos docet Lactantius,
 quem tertium testem prodire nunc jubemus. *Chrysippus, inquit,*
naturalem vim divina ratione præditam, interdum divinam neces-
sitatem Deum nuncupat. Item Zenon divinam naturalemque le-
gem. Horum enim omnium sententia, quamvis sit incerta, eodem
tamen spectat, ut providentiam unam esse consentiant. Sive enim
Natura, sive Æther, sive ratio, sive mens, sive fatalis necessitas, sive
divina Lex, sive quid aliud dixeris, idem est, quod a nobis dicitur
Deus. Nec obstat appellationum diversitas, cum ipsa significatione
ad unum omnia revolvantur. Veruntamen, inquiet forte non
 nemo, liquido satis sibi exinde nondum constare, εἰμαρμένην
 Deum δημῖος γὼν Heraclito significare, quod Stoicis isto sensu vox
 D illa

Laert. L. VII.
Segm. 134.

De Nat. Deo-
rum L. III. c. 14.

Segm. 135.

c. 21.

Div. Inst. III, 5.

illa usurpetur; cum demonstratione solida evinci non possit, ab Heraclito huncce loquendi morem mutuo eos accepisse, licet alia fors sententiae ejus & phrasae in porticum eorum transmigraverint. Insisto itaque supra allatae εἰμαρμένης descriptioni Heracliteae, quod scilicet sit substantia intellectu sive mente praedita, διμικρογός, hoc est, opifex rerum universalium. Ubi si liberius λόγος vocem, per substantiam intellectu menteque praeditam me interpretatum esse, quis dixerit, interpretationem illam adjecta voce διμικρογός, acceptione item vocis ΛΟΓΟΣ apud Platonicos, imo & Stoicos, locis paulo ante allegatis, & alibi, tuebor. Imo si ne sic quidem acquiescere voluerit, plane eadem ratione intellexisse ea, quae de fato tradidit Heraclitus, Clementem Alexandrinum

Strom. V. p.

599.

L. IX. Segm. 8.


ostendam, qui ita ejus sententiam explicavit. δύναμις γὰρ λέγεται [Ἡράκλειτος] ὅτι πῦρ ὑπὸ τῶν διοικῶντων λόγος καὶ θεῶν τὰ σύμπαντα δι' αἴερος ἰστέπεται εἰς ὑγρὸν, τὸ ὡσπέριμα τῆς διακοσμήσεως, ὃ καλεῖται θάλασσαν. Quae sane manifesta est illorum Laertii: τῆτο δὲ γίνεσθαι κατὰ εἰμαρμένην — πυκνόμενον γὰρ τὸ πῦρ ἐξυγραινέσθαι συνιστάμενόν τε γίνεσθαι ὕδωρ, interpretatio. Quod clarius evadit, si una conferas Heracliteam εἰμαρμένης ex Stobaeo & Plutarcho descriptionem, quod scilicet sit λόγος ὁ διὰ τῆς ἐσίας τῶ πάντων διήκων, ἢ ἐκ τῆς ἐναντιοδρομίας διμικρογός τῶν ὄντων. Ita enim haec mutuo sese illustrant, ut mihi sane meridiano sole clariora esse videantur.

§. XIV. Absolvatur itaque, si evidentiora argumenta in contrarium non suppetunt ab Atheismi suspicione Heraclitus noster, & quamcunque potius ob causam inter principia Deum non nominasse dicatur. Praecipue cum ex fragmentis Philosophiae ejus moralis minime obscura prodici possint indicia, quae pestifera illa labe corruptum eum neutiquam fuisse satis luculenter ostendant. Verum illa fusius tum percensebo, ubi otium mihi dabitur, universam Philosophiam Heracliteam in ordinem redigendi. Sane probabile non est, Socratem, divinum illum virum, quem solum e Gentibus ob unius Dei professionem, mortem tolerare fuisse ausum novimus, tam honorifice de Heracliti Scriptis judicaturum fuisse, si peste illa afflata ea esse persensisset. Quid quod patrum

Laert. L. II.
Segm. 22.

Sanctis-

Sanctissimi inter eos illum reponere, in quibus ἡ κακία τῆ δρετῆ Athenag. A-
 προσεπολέμησε non fuerint veriti? quod sane facturos eos haud- pol. p. 35.
 quaquam fuisse puto, si Deum omnemque adeo Religionem eum
 abnegasse intellexissent. Imo vide, quam plane egregie Justinus Apol. I, p. 33.
 Martyr de eo sentiat, cujus verba non possum non hoc loco ad-
 scribere: ἢ οἱ μετὰ λόγῃ βιώσαντες, inquit, χριστιανοί εἰσι, καὶ
 ἄθεοι ἐνομίσθησαν. οἷον ἐν ἑλλάσι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλει-
 τος καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. Clementis enim Alexandrini & alio-
 rum passim in eum profusas laudes nunc quidem prætermitto. Ha-
 bemus itaque Heraclitum idem quoad rem ipsam cum Epicuro
 principium admittentem; sine Epicuri tamen impietate. Jam,
 strata nobis via est, qua incedentes facile poterimus declarare,
 quam potissimum rationem in deducendis ex igne, sive igneæ na-
 turæ particulis, naturalibus rebus ille iniverit. Quas καὶ εἰμαρ-
 μόνην, hoc est, suprema mente dirigente, πεπυκνωμένης καὶ με-
 μανωμένης, ἐναντιοδρομίας, sive, ut alii ajunt, ὀδῶ ἀνω καὶ κάτω,
 in varia corpora abiisse satis apte deduci potest. Verum istum
 laborem ad aliud tempus differendum esse
 existimamus.



ΥΠΕΡ-

ΥΠΕΡΜΕΤΡΑ.

- I. Aristotelis mentem affecuti non esse videntur, qui Enthymema describunt ita, ut dicant esse Syllogismum, cujus altera præmissarum absconditur.
- II. Bonus Metaphysicus sit oportet, qui boni Physici partes cupit tueri.
- III. Nihil prorsus cum Heracliti & aliorum Physicorum veterum doctrina de Deo igne, commune habet quorundam Ecclesiæ Doctorum sententia, qua Deum ignem passim dixere. Perperam adeo faceret, qui ex altera alteram conaretur illustrare.
- IV. Socrati *Ἐπιτάφιον λόγον* in Gryllum, qui ei apud Laertium L. II. Segm. 55. tribui videtur, alicubi abjudicavimus, & vitio laborare illum locum, Socratis nomine pro alio quocunq; substituto monuimus. Ast non succurrebat tum alius, cujus nomen Socratis nomine esse permutatum probabili conjectura dici posset. Quid si itaq; nunc Naucratem eum esse dicamus? Induxit nos in illam sententiam Dionysius Halicarnas. qui in Arte cap. VI. (quod *μέθοδος Ἐπιταφίων* inscribitur) *Λυσίας δὲ, inquit, καὶ ὑπερίδης καὶ ὁ τῶν Σωκράτους [lege Ἴσοκράτους] ἑταῖρος Ναυκράτης πολλὰς ἡμῖν τοιαύτας ἰδέας παρέχοντο.*

